



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Leglennensi Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

inquiras de præmissis diligentius veritatem, & si rem inveneris taliter se habere, cum ex hoc præfatus sacerdos dignoscatur nullius culpæ maculam contraxisse, auctoritate nostra des ei licentiam celebrandi. Datum Laterani.

*VERONENSI EPISCOPO,  
Romane Ecclesie Cardinali.*

*Epist. 228.  
Vi pertinaces  
hæretici puni-  
antur, & res-  
piciere volen-  
tibus gremium  
Ecclesie non  
præcludatur.*

**L**icet in agro patris familias evangelici zizania sæpe pullulent inter messes, & vineam domini Sabaoth interdum nitatur tinea demoliri; sic tamen prudens agricola vinitorque discretus salubre debet remedium invenire, ne vel triticum evellatur inter zizania, vel in dejectione tinea vinea corrumpatur. Similiter etiam, licet ad abolendam hæreticam pravitatem invigilare debeat sollicitudo pastoris, sollicitè tamen debet attendere ne vel damnet innoxios, vel nocentes absolvat. Accepimus autem quòd auctoritate litterarum nostrarum, quas dilectis filiis nostris Archipresbyteris & Canonicis Ecclesie tuæ contra \* Gazaros, Arnaldistas, Pauperes de Lugduno, & Humiliatos, qui nondum redierunt ad mandatum apostolicæ sedis, & hæreticos universos direximus, dictus Archipresbyter tam contra Humiliatos quam universos hæreticos, sine distinctione quam posueramus in litteris nostris, excommunicationis sententiam promulgavit: cujus occasione sententiæ nonnulli quosdam qui, licet invitati, à populo Humiliati dicuntur, licet nullam hæresim, sed fidem, sicut dicitur, sapiant orthodoxam, & in humilitate cordis & corporis studeant Domino famulari, qui etiam in manibus tuis stare mandatis Ecclesie juraverunt, evitant, & eis tanquam excommunicatis communicare sicut hætenus non præsumunt. Quia verò non est nostræ intentionis innoxios cum nocentibus condemnare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus tales ad tuam præsentiam convoces, & inquiras tam ab aliis de vita & conversatione ipsorum, quam ab eis de articulis fidei & aliis quæ videris inquirenda; & si nihil senserint quòd sapiat hæreticam pravitatem, eos catholicos esse denunties, & prædicta sententia non teneri. Quòd si forsan aliquid contra fidem sapiant orthodoxam, & parati fuerint ab errore discedere, ac mandatis apostolicis obe-

\* Cataros.

dire; recepto ab eis juxta formam ecclesie juramento, quod solet à talibus exhiberi, beneficium eis absolutionis impendas; mandans eisdem sub debito juramenti præstiti ut errorem quem approbaverant, publicè improbent, & in aliis studeant pro viribus confutare; de cetero etiam fidem orthodoxam servant, & sedem apostolicam venerentur. Datum Laterani VIII. Idus Decembris.

*B. PISTORIENSI EPISCOPO.*

**A** Nobis tua fraternitas requisivit utrum ab illis decimas exigere debeas qui possessiones dant vel recipiunt ad affectum, cum alij se contentur per alios excusare quò minus cogantur ad decimas persolvendas; quid etiam sit de mulieribus in episcopatu tuo Presbyteris in capellis sub conversationis specie cohabitantibus faciendum, unde infamia irrogatur ordini Clericorum. Cum igitur quilibet decimas solvere teneatur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus; fraternitati tuæ duximus respondendum quòd à dantibus possessiones & accipientibus ad affectum, de fructibus quos percipiunt decimæ sunt solvendæ, nisi ab eis aliquid ostendatur quare ab hujusmodi sint immunes. Cum Clericis quoque non permittas mulierculas habitare; nisi fortè de illis personis existant in quibus naturale scædus nihil permittit cævi criminis æstimari. Datum Laterani IV. Nonas Decembris.

*Epist. 229.  
Qualiter decima persolvenda sint.  
Cap. A nobis  
De Decimis.*

*LEGLENNENSI EPISCOPO.*

**C**um facti simus secundum Apostolum sapientibus & insipientibus debitorès, honori fratrum & coepiscoporum nostrorum, quos apostolica sedes in partem sollicitudinis evocavit, tanto abundantius deferre volumus & optamus, quanto propter eminentiam dignitatis à nobis & aliis sunt propensius honorandi. Ea propter, venerabilis in Christo frater, tuis justis petitionibus inclinati, præsentì pagina tibi duximus indulgendum ne quispiam Prælatorum, nisi pro manifesta & rationabili causa, excommunicationis vel suspensionis in te, quem nos, licet indigni, propriis manibus consecravimus, sententiam valeat promulgare. Nulli ergo &c. Datum Laterani XII. Kal. Decembris.

*L. 44. De Episc.  
& Cler. in Cod.  
Theodos.*

*Epist. 230.  
Quòd non facile excommu-  
nicari possit.*